

rancio Dei gratia Venetiarum duce et suo consilio ibidem presente. Ut de robaria alias sibi facta ut asserit in mari in partibus Hermenie de suis mercationibus per quemdam alium *Marcum Balilii* de Veneciis faceret dicto Petro iusticie complementum et satisfactionem et emendam competentem cum expensis iuxta formam litterarum eidem domino duci missarum per supradictum senescalum et baiulum.

Adque omnia et singula per dictum Petrum petita et exposta, idem dominus dux cum suo consilio nomine et vice sua et communis Venetiarum, Respondendo dixit eidem Petro et protestatus fuit, omni modo iure et forma quibus melius poterat quod alias et nunc ob reverenciam et amorem dictorum duorum Regum et dictorum baiuli et seneschalchi ipse dominus dux cum suo consilio et comuni Venetiarum semper fuerunt parati ed adhuc sunt et semper erunt, eidem Petro facere et fieri facere plenum et summarium iusticie complementum, tam contra comune Venetiarum quam contra quascumque speciales seu singulares personas dicti communis, et satisfactionem debitam et inventam fieri debere, de iure nec idem dominus dux vel comune Venetiarum umquam in exhibenda eidem Petro iusticia fuerunt vel sunt nec etiam erunt negligentes vel remissi. Et alias specialiter deputaverunt suos officiales, scilicet iudices curie forinsecorum constitutorum pro ipso domino duce et comune Venetiarum ut eidem Petro facerent pro ipsis domino duce et comuni Venetiarum summariam brevem et expeditam rationem et iusticie complementum et satisfactionem sibi fieri facerent debitam et inventam fieri debere devenire; sed per ipsum Petrum stetit quod nunquam voluit coram eisdem iudicibus suam prosequi rationem se absentando de Veneciis: et adhuc dictus dominus dux cum suo consilio deputavit et deputat eidem Petro dictam curiam ipsorum iudicum forinsecorum mandando ipsis iudicibus et offerendo eidem Petro quod per dictos iudices idem Petrus et eius peticio audiatur diligenter et benigne.

Et quod eidem Petro nomine ipsius domini ducis et communis Venetiarum et pro eis plenam et summariam rationem faciant et breve iusticie complementum. Tam contra comune Venetiarum quam contra quascumque singularum personas Venetiarum de quibus idem Petrus conqueri voluerit et fieri facient eidem satis-